



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CLV. In omni tentatione ac miseria nostra inveniemus asylum
in sacratissimis vulneribus Christi Jesu crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CLV.

In omni tentatione ac miseria nostra in-
veniemus tutum asylum in SS. Vulneribus Chri-
sti JESU Crucifixi.

*Ipsè autem vulneratus est propter iniquitates nostras, at-
tritus est propter scelera nostra. Isa. 53. 5.*

I.

Eecli. 44. 17.

Gen. 6. 16.

Jo. 10. 9.

S. August. de

Civit. Dei

cap. 26.

Gen. 6. 14.

Hugo Card.
hic.

S. Aug. serm.

74. ad Frat.

Psal. 138. 6.

NOe vir justus, qui in tempore iracundia factus est reconciliatio, dum arcam suam fabricatus est, ex mandato Dei grande ostium ex latere arcae posuit, per quod si quis ingressus est, in communi illo orbis diluvio non periit, sed salutem invenit: *Ostium autem arcae pones ex latere.* Audi Veritatem: *Ego sum ostium, per quod si quis introierit, salvabitur.* Et S. Augustinus: *Ostium, ait, quod accepit in latere Arca Noë, profecto illud vulnus est. quando latus Crucifixi lancea vulneratum est.* Sed & præter ostium illud grande in præfata arca mansiunculae aliquæ pro Noëmi familia facta sunt: *Mansiunculas in arca facies.* Hugo Cardinalis per illas mansiunculas SS. 5. Vulnera Christi piensissimi Redemptoris nostri intelligit, in quibus omnes fideles, qui piè volunt vivere, suum possunt in omni tentatione & discrimine reperire refugium & asylum: *Si quis fugiet,* ait citatus Aurelius Augustinus, *vivet. Tutum refugium contra hostes Vulnera Salvatoris. Ante te est turris, recordare Christum, & intra in turrim, cogitare cogitando, cum aliquid pateris, quis prior, plus & pure propter te passus est; & quo fine? ut resurgeret; & tu talem finem spera, & non consenties inimico, & intra sti in turrim.*

2. David experientiâ doctus quantum malum sit peccatum, penitens exinde ubique DEum præsentem considerare cœpit, & peccata non tam fugit, quàm & virtutem cum ardore secutus est. Audiamus ipsum loquentem, quomodo sibi semper divinam præsentiam proposuerit, & utinam omnes sic facerent: *Quò ibo, inquiebat, à spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Quod & ulterius amplificat, ac declarat: Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; Si sumpsero pennas meas, de-*

diluco: Et si habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me. Ecce David Rex potentissimus in miseriis suis locum securum non poterat invenire, in quo tutus ab ira Dei, omnia videntis, omnia judicantis, posset commorari: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Et ego quid? Recolligo me.*

Anime mi, si peccasti cum Davide, non despera; Ecce tutissimum tibi monstro refugii locum: *Abcondere in fossa humo à facie timoris* Isa. 2. 10. *Domini, suadet Propheta; fossa autem humus est humanitas Christi, toto corpore plagata & vulneribus plena: Foderunt manus meas, & pedes* Psal. 21. 15. *meos. Veni in animo contrito ac humiliato, & experieris quod jam pridem S. Bernhardus aureà suà pennà mortalitati humanæ scripto reliquit: Quid enim, ait, tam efficax ad curanda conscientia Vulnera; nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi Vulnerum sedula meditatio?* S. Bernh. ser. 62. in Cant.

3. Inter alia præcepta, quæ Christus Dominus Apostolis suis, ubi eos ad prædicandum Evangelium dimisit, prius dederat, non postremum illud est: *Estote ergo prudentes, sicut serpentes: Et simplices sicut columba* Matth. 10. 16. *ba* Supra quod S. Hieronymus: Serpentis, inquit, astutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, ut illud, in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus, id est, fidem integram & incorruptam servare studeamus. Hoc S. Hieronymus.

Serpens insuper, ait, Beda Venerabilis, unam aurem petrae opponit, alteram caudà claudit, ne audiat incantantes; unde Vates Regius: *Sicut aspidis surda, & obturantis aures suas.* Ita & nos simus constituti in multis occasionibus, præsertim contra dæmonis & impiorum suggestiones; Claudamus aures. Psal. 57. 5.

Serpens adhæc acutissimè videt, & prævidet illa pericula, quæ ab incantatoribus sibi parantur. Utinam & nos saperemus ac novissima provideremus, quia veniet tempus, & nox, *quando nemo potest operari.* Et Jo. 9. 4. *quid tunc operaberis, aut quid boni facies, quando mors tibi claudet oculos?*

Serpens, dum senescit, per angustum foramen gliscendo, vetustam pellem sibi detrahit, ac vestem deponit, ut novam induat: unde lemma: *Renovabitur juvenus mea: hoc faciat & homo Christianus, per angustam viam, quæ ducit ad vitam, transeat & veterem Adamum ac hominem deponat: Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: Et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Matth. 7. 14. *O fulmen ab ore Veritatis! Sta, & considera.*

Et quomodo, dices, per strictas illas petrae rimas possum transire, per quas transiens, veterem pellem & hominem antiquum possum deponere? En ostendo tibi modum. Audi Venerabilem Vincentium

Gimber Unus pro omnibus.

Eccc

Caraf-

Caraff. lib. 2. Caraffam Societatis Jesu Præpositum Generalem: *Ut pellem, inquit, vitiorum deponamus, per foramen stigmatum Christi transeamus.* O Sanctissima Vulnera, suprema animæ nostræ solatia! *Quod fit consideratione.* ait idem, *considerando infinitum amorem, quem Dominus in illis Vulneribus demonstravit. Est enim in amore vis transformandi, & convertendi in suam naturam. Ubi itaque consideraverit Vulnera tam amabilia, & amore infinito & divino plena, vestietur anima veste nuptiali amoris, & exuet veste peccati.*

Matth. 10. 16.

4. Juret insuper benignus Dominus, ut simus *simplices sicut columba.* Eucleare juvat hic paulisper columbæ naturam. 1. Columba selle caret, nec ulli nocet: habemus hic typum mansuetudinis; proinde rectè S. Chryostomus: *Ira, ait, per iram non extinguitur, sed per mansuetudinem: non sufficit pati mala, sed nec turbari conceditur, quod est columbæ.* 2. Columba gemit, & non crocitat, sicut corvus: *Gras, cras;* En symbolum meditantis & pœnitentis animæ; hinc David columbæ & non corvi pennas petiit: *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescam.* 3. Columba citò obliuiscitur injuriarum, si enim orbatur pullis, ad eundem tamen nidum & Dominum redire solet: Sic vult mitissimus orbis Servator Christus, ut immemores injuriarum vivamus, hoc enim supra crucem affixus titulus docet: *J. N. R. I.* quem sic expono: *Jesus Non Reminiscitur Injuriarum.* 4. Columba pacis nuntia, quod patet in columba Noëmica post diluuium, & Viennæ in Austria, ubi à Solimano Anno Christi 1683. crudelissimè obsidione diù coangustata est; cùm tandem Christianorum & Confœderatorum Principum succursus advenit, priùs urbi obsessæ candida columba felix de pace nuntium tulit. 5. Columba amat petreæ foramina juxta illud Canticorum: *Columba mea in foraminibus petra: in caverna maceria.* Per petram Christus intelligitur, hic enim est petra 1. Cor. 10. Per foramina petreæ communiter SS. Patres quinque Christi Vulnera accipiunt: *Per foramina petra,* ait S. Gregorius hic, *Vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, cavernam verò maceria Vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petra, & in caverna maceria esse dicitur, quia cùm in cruce recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa Vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus &c.*

Psal. 54. 7.

Cant. 2. 14.

6. Ad gloriosam Christi Domini in cœlum ascensionem venimus. Et quid audio? Ecce cùm Dominus uniuersorum, nunc victor de morte, mundo, diabolo, peccato & inferno se sublimem per aëra, cœlestesque globos cum splendidissimo justorum comitatu efferret, & nunc ad portas cœli appropinquaret, occurrebant ei obvii cœlestis aulae Principes, succlamantes: *Astollite portas Principes vestras: Et eleva-*

Psal. 23. 7.

mini

mini porta aeternales, & introibit Rex gloria. Ex altera parte succlamabant alii caeli Principes: *Quis est iste Rex gloria? Dominus fortis & potens, Dominus potens in praelio;* ipse enim Rex est caeli & terrae, qui cum pietate in terras descendit, mundum redemit, & omnes hostes contrivit in praelio. Auditur novus caelestium Spirituum clamor præ summo gaudio-jubilantium & advolantium, ut Regem suum omni gloriâ ac honore dignissimum condignâ pompâ excipiant: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini: o ta aeternales, & introibit Rex gloria;* quibus alter Angelorum chorus: *Etiamnùm dubitatis, quis sit Rex iste tantâ affulgens gloriâ? Ille, ille est vestrorum agminum caelestium & omnium hominum Rex, univerforum Judex ac Dominus; verbo: Quis est iste Rex gloria? Dominus virtutum ipse est Rex gloria.*

Adverte hic prudens Lector, & numera in hoc psalmo, quoties Angeli Christum Regem appellârint? R. S. Augustinus: *Christus quin-* S. Aug. sermo
quies dicitur Rex gloria, pro numero Vulnerum acclamant regiam dignitatem. VI-178. de Temp.
derunt nimirum, subintrat hic Sylveira, Cœlites cuncti speciosum Sylveira in
Vulneribus Christum, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla Jo. 19. q. 13.
talibus concrepant hymnis: *Quis est iste Rex gloria?*

O sanctissima Christi Jesu Vulnera, quæ etiamnùm omnibus patent! vos estis quinque facundissimæ linguæ, quæ ad Patrem semper pro nobis loquuntur bonum, ut in consideratione eorum non disperdat omnem terram: *Oravit, ait S. Laurentius Justinianus, in cruce S. Laur. Just. Patrem: Pater dimitte illi: rogat eundem indefinenter in cælo, exhibendo Vulne-* in fasciculo
rum cicatrices, quæ pro redemptione fidelium in suo perpressus est corpore. Lo- amoris, c. 15.
quuntur insuper hæc Sacratissima Vulnera ad Patrem, quia sunt Christi victoriæ triumphus, salutis humanæ pretium, civitas refugii, fundamentum meritorum, incentivum charitatis, holocaustum pro hominibus, & gloria SS. Trinitatis ac totius univèrsi. *Quis ergo non capiat ex his SS. Vulneribus Christi ingens solatium! Confidite,* Jo. 16. 33.
ego vici mundum.

